



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Concilium Coloniense Contra Raptore Rervm Ecclesiasticarvm,
oppressores pauperum, & incestas nuptias, celebratum anno Domini
DCCCLXXXVII. tempore Stephani papae V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

STEPHANVS C. COLONIENSE. CAROLVS CRASSVS 565
P. V. I M P.

ANNO
CHRISTI
886.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

* *Concilium in villa Portu.*] In iisdem Narbonensibus schedis aliud etiam memoratur Concilium Tolosæ a Sigebodo metropolitano aliquot ante annos habitum Iudeorum causa, qui se durius tractari querebantur, aduersus Bernardum Tolosanum episcopum, in coeque Concilio confutatos atque conuictos fuisse Iudeos a Theodardo nondum episcopo.

ANNO
CHRISTI
887. CONCILIVM COLONIENSE
CONTRA RAPTORES RERVM ECCLESIASTICARVM,
oppressores pauperum, & incestas nuptias, celebra-
tum anno Domini DCCCLXXXVII. tempore Stephani papæ V.

TITVL CI CAPITVLORVM.

- I. *De Drogone prius electo episco-
po Mimidonensi, nunc confir-
mato.*
- II. *Anathema in schismaticos &
raptore ecclesiarum, ni resipi-
scant.*
- III. *Standum esse antiquis patrum*
- decretis.
- IV. *Ne quis res aut iura ecclesiæ
vsurpet.*
- V. *De equitate horum decreto-
rum.*
- VI. *De adulteris, & incestis. Tum
de monialibus vitiatis.*

P R A E F A T I O.

ANNO incarnationis Domini nostri Iesu Christi, octin-
gentesimo octogesimo septimo in ecclesia beati Petri
apostolorum principis, indictione tertia, Kalendis Apri-
lis, conuenerunt in vrbe Agrippinensi vna cum consensu
gloriosissimi imperatoris Caroli, & Moguntinæ sedis Luid-
berti archiepiscopi, Vwillibertus humilis eiusdem præfatae
vrbis archiepiscopus, Franco Tungensis sedis episcopus,
Odilbaldus Traiectensis sedis episcopus, Vulfelinus Mi-
migarnafurdensis ecclesiæ episcopus, Drogo Mimidonen-
sis ecclesiæ episcopus, cum consensu venerabilis Rimber-
ti episcopi, præsentibus etiam bonæ deuotionis abbati-
bus Neuolongo Indensis monasterii abbatæ, Andulfo
Vverdinensis monasterii abbate, Folchario Aquisgrani pa-
latii abbate, cum præfatarum sedium presbyteris & dia-
conis.

B b b b iii

566 STEPHANVS CONCILIVM CAROLVS GRASSVS
P. V. IMP.
nibus, & laicis quibusdam religiosis celebrata Synodo, ea
quæ subiecta sunt diuini amoris instinctu de negotiis ec-
clesiasticis promulgauerunt.

C A P I T V L A.

I.

Quod clerus Mimidonensis ecclesiæ presbyterum nomine Drogonem vocatum, episcopum vnanimi consensu ad episcopalem promoueri ordinem petierunt, quorum petitioni effectum præbentes, ad pastorale eum promouimus officium.

II.

Quod Franco venerabilis Tungrensis sedis episcopus, cura pastorali permotus, & diuini amoris zelo succensus suggestit, sanctam Dei ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, a schismatis & raptoribus, qui neque Deum præ oculis habent, neque ullius verentur occursum, neque diuina humanave lege a malo coercentur, sed ad omnne malum præcipites feruntur, grauiter vexari. Cuius suggestioni valde condolentes, illiusque zelo secundum canonicæ institutionis decreta compatientes, decreuimus, eos qui tam pertinaci stimulo irretiti sunt, vt ea mala sanctæ matris ecclesiæ inferrent, aut statuto tempore pia consideratione illorum saluti consulentes, videlicet in festiuitate sancti Ioannis Baptistæ, octauo Kalendas Iulii in Foro Iulii, quando iterum Deo annuente Synodus celebranda erit, poenitentiæ & emendationi secundum priscorum statuta patrum se summittant, aut si instigante diabolo, cuius instinctu ad tam nefandum peruererunt flagitium, hoc con-

ANNO CHRISTI
887. tempserint, perpetuo & irreuocabili eos anathema-
te feriendos esse denuntiamus. Eos vero, qui cre-
bra admonitione & diurna conuenti sunt ut re-
sipiscerent, & ad pœnitentiæ remedia confuge-
rent, more canum ad vomitum rapacitatis absque
Dei respectu reuersi sunt, statuimus sine dilatio-
ne gladio anathematis esse puniendos.

III.

Hæc ita statuimus, quoniam necesse est, non
transgredi terminos patrum, sed magis assensum
præbere definitioni eorum. In decretis namque
Anacleti papæ capite secundo legimus, quod om-
nis oppressus liberum sacerdotum, si voluerit, ap-
pellet iudicium, & a nullo prohibetur, sed ab his
fulciatur, & liberetur. Ex Concilio Toletano quar-
to, capite trigesimo secundo: Episcopi in protegen-
dis populis ac defendendis impositam sibi a Deo
curam non ambigant. Ideoque dum conspiciunt
iudices ac potentes pauperum oppressores existere,
sacerdotali eos commonitione redarguant. Item ex
Concilio Toletano I. Si quis de potentibus cleri-
cum aut quemlibet pauperiorum, aut religiosum
expoliauerit, & mandauerit eum ad se venire epi-
scopus ut audiatur, & contempserit, mox inuicem
scripta percurrant per omnes prouinciaæ episco-
pos, & quoscumque adire potuerint, excommuni-
catus habeatur ipse, donec audiat, & reddat a-
liena. Talium enim scelerum patratoribus, sicut in
capitularibus gloriosissimorum imperatorum Ca-
roli & Ludouici continetur, nisi post puram & pu-
blicam pœnitentiam, & per ecclesiæ satisfactio-

In prima
decreta. Et
1. q. 6.
Omnis op-
pressus.

568 STEPHANVS CONCILIVM CAROLVS CRASSVS
P.V. IMP.

nem, & per impositionem manus episcoporum,
nec viuis, nec mortuis communicare debemus.

I V.

Vt nullus laicus, quamvis religiosus, præsumat
aliquid de rebus Deo dicatis vel ecclesiæ facultati-
bus, id est, nec dandi basilicas, nec auferendi sine
consensu episcopi habeat potestatem, neque ex do-
te ecclesiæ, id est, ex uno manso, & quatuor man-
cipiis census exigatur, sed iuxta Concilium Aure-
lianense primum, capite decimonono, omnes basi-
licæ, quæ per diuersa loca constructæ sunt, vel
quotidie construuntur, placuit secundum prio-
rum Canonum regulam, vt in eius ordinatione &
potestate persistant, in cuius territorio positæ sunt.
Si quis vero contra hæc venire præsumperit, ana-
themate feriatur.

V.

Omnibus constat manifestum fore, nos nil te-
meritatis neque nouitatis in hac Synodo, vbi in Ie-
su nomine, qui est salus omnium, congregati su-
mus, statuisse; sed causa vestræ salutis diuino ad-
moniti instinctu feruentes, imo pastorali cura per-
moniti, vobis metiis consulentes secundum diui-
næ institutionis normam, & iuxta nobis a Deo da-
tam sapientiam, pie & iuste viuere vnumquemque
admonemus, quatenus Deo reddentes quæ Dei
sunt, & vos nobis, prout oportet, auxilium feren-
tes, nosque vobis secundum Apostolum spiritualia
seminantes, ad vitam pariter perueniamus æternam.

VI.

De incestis autem coniunctionibus, vnde mul-
timo-

Anno Christi
 887. timodis fines regionis nostræ circumquaque, insti-
 gante diabolo, polluuntur, secundum Agathense
 Concilium capite sexagesimo primo, nihil prorsus
 vienæ reseruamus, nisi cum adulterium separatio-
 ne sanauerint. Ex Concilio Ilerdensi capite quar-
 to, de his, qui se incesti pollutione commaculant,
 placuit, quo usque in ipso detestando & illicito car-
 nis contubernio perseuerent, vsque ad Missam tan-
 tum catechumenorum in ecclesia admittantur,
 cum quibus etiam nec cibum sumere vlli Christia-
 norum, sicut Apostolus iussit, oportet. Quod si ^{1. cor. 5.}
 conuenti fuerint, & ad pœnitentiæ remedia con-
 uolauerint, seque sacramento constrinxerint, vt
 rius tam nefanda & prorsus abominanda pollutio-
 ne non esse polluendos, iterumque ad recidua ma-
 litiæ, & vitæ pristinæ fordes relapsi fuerint, ab epi-
 scopo ciuitatis comprehensi, sicut in Concilio To-
 letano capite septimo reperitur, in cuius territo-
 rio sunt, rursum legibus pœnitentiæ in monaste-
 riis subdantur inuiti. Quod si facere per aliquem
 potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicuti pri-
 scorum Canonum statuerunt decreta, quo usque
 iterum resipuerint, excommunicati, & anathema-
 te condemnati habeatur: sed & hi, qui post excom-
 municationem vel interdictum, cum eis communi-
 cauerint: De virginibus autem sacratis in Conci-
 ilio Eliberitano capite decimotertio scriptum est:
 Si mœchauerint virgines, quæ se Deo dedicaue-
 runt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem
 seruierint libidini, non intelligētes quid amiserint,
 placuit, nec in fine dandam eis esse communionem.

Concil. Tom. 24.

Cccc

17. quest. 1.
 Virgines
 quæ sc. Et in
 Moguntia-
 co Concilio
 tempore
 Caroli,
 cap. 27.

Quod si semel persuasæ ad infirmi corporis vitia la-
psæ , toto tempore vitæ suæ eiusmodi feminæ ege-
rint pœnitentiam , & abstineant se a coitu , placuit ,
eas in finem communionem accipere debere . Ex
Concilio Calchedonensi capite decimo sexto , vir-
ginem , quæ se Domino Deo consecravit , non li-
cere nuptialia iura contrahere . Quod si hoc inuen-
ta fuerit perpetrans , excommunicetur . Confiten-
ti autem decreuimus ut habeat auctoritatem eius-
dem loci episcopus misericordiam humanitatem-
que largiri .

CONCILIVM CABILONENSE
IN ECCLESIA SANCTI MARCELLI IN SVBVRBIO
Cabilonensi celebratum xv. Kalendas Iunias
anno Christi DCCCXXCVII.

HVIVS Synodi mentio est in chronico monasterii Besuensis , cu-
ius auctor ex Synodi actis profert quæ sequuntur : Anno ,
inquit , incarnationis dominicæ DCCCXXCVII. anno quo-
que domni & serenissimi Caroli imperatoris Augusti in
Gallia imperantis 11. indictione v. xv. Kalendas Iunii ,
sacer episcoporum Conuentus , ob pacem & tranquilli-
tatem sanctæ Dei ecclesiæ statuendam , & ecclesiastica
negotia decernenda , apud ecclesiam sancti Marcelli mar-
tyris in suburbio Cabilonensi in Christi nomine coadu-
natus est . Vbi fuérunt domni & sanctissimi archiepisco-
pi Aurelianus , Berninus , nec non & reuerentissimi epi-
scopi , Adalarius , Geylo , Stephanus , Giraldus , Adal-
baldus , Isaac , & Leboinus . Geylo denique Lingonensis ec-
clesiæ reuerendus antistes , vna cum suprascriptis patribus
in hoc sacro residens Conuentu , eorum auribus intimauit ,
qualiter Isaac anteceßor suus res ecclesiæ in Luco in hono-
re S. Martini in sua Synodo a partibus S. Martini de Luco
superiore , capellæ videlicet sancti Marcellini , contra Ada-